

*Testes idonei.*

1. Testes sufficientes sunt, qui extra infamiae notam positi, nullaq; legibus fundata causa possunt reprobari. De hoc articulo Juris Commentarium scribere possem, si modo vellem. Nolo. Remitto saltem me ad labores meos ad praxin Judiciariam directos, *decad. 4. c. 8. per tot.*

2. Interdum tamen, & quando veritas aliter haberi nequit, & praesertim in delictis & factis, quae sunt difficilis probationis, inhabiles admittuntur testes.

ARTICULUS LXVII.

*Idoneum testimonium.*

1. Idoneum testimonium est, quod nititur duobus testibus fide dignis, & omni exceptione majoribus. Remitto me *ad art. 22. concl. 1.*

ARTICULUS LXVIII.

*De falsis testibus.*

1. Testes merentur poenam talionis, si falsi reperti fuerint, atq; convicti, quod per falsam ac malignam testificationem, quem innocentem poenae addixissent, vel addicere praesumpserint, *Gobl. art. 67. Zieritz. c. 68. Steph. art. 68.* De poena talionis vide doctissime differentem *Petr. Gregor. Tholos. in Syntagm. jur. univ. lib. 31. c. 10.* Judex, seu cuicumq; examen fuerit commissum testium, eos diligenter admonet, ut videant, ne perjuri fiant, sed veritatem dicant sub severa comminatione poenarum testi mendaci infligendarum, quod scilicet testis mentiens tres laedat, Deum ipsum, quem mendacii sui testem constituit & vindicem, cujus cultum, & nomen sanctum, omnibusq; modis reverendum perjurio suo violat, & profanat. Secundò Judicem, quem mentiendo sub specie & praetextu veritatis decipit, fallit & seducit, ut sententiam injustam ferat, & denique partem adversam innocentem, cui falso suo testimonio jus suum admittit, vel immeritò in poenas adducit, *Farin. latè de testib. q. 64.* Confer *Eberh. Speckhan cent. 3. class. 4. q. 5. p. 1141. cum seqq.* De formula avisationis, qua Judex vel Commissarius examinis testes, antequam jurent, de vitando perjurio, ejusq; poena rectè admonere potest, vide *Jürstl. Wulffenbut. Hoffgerichtsordnung / pag. (mibi) 79.* quam formulam quoq; tradit *Adrian. Gylman. in Symphoremate*; si rectè memini. Vide *proc. Cam. Imp. tract. method. p. 48.*

ARTICULUS LXIX.

*Si reus de crimine convictus id confiteri nolit.*

1. Judex hujusmodi convicto indicare debet, delictum probatum esse, an fortasse ita facilius, citiusq; confessio rei obtineri possit. Quod si sic quoq;